

(2) De magnitudine Christi constat omnibus, quod ipse est rex magnus super omnes deos, cuius virtus magna fuit, quando de dyabolo triumphavit ¹⁹⁾, sapientia eius magna, quam dedit et docuit in auditorio ecclesie militantis, unde in ewangelio: *numquam sic locutus est homo ab eterno* ²⁰⁾.

(3) Qualiter autem terreno imperatori competit est videndum. Tripartita est prefata auctoritas, quia de tribus tractat; primo de magnitudine domini, cum dicit: *magnus dominus* noster, secundario de magnitudine virtutis, cum infert: *et magna virtus eius*, tercio et ultimo de magnitudine sapientie, cum addit: *et sapientie eius non est numerus*.

Et ut omnia exponantur in numero, pondere et mensura ²¹⁾, primo de magnitudine eiusdem domini est tractandum.

(4) *Magnus est dominus* imperator nobilitatis genere, quia trahit pro sapiam ab imperatoribus et regibus huius mundi; qui de celo venit, super omnes est ²²⁾, id est, qui de imperiali semine descendit, cunctis nobilior est. De isto potest dici illud Salomonis: *Nobilis in portis vir eius, quando sedebit cum senatoribus orbis terre* ²³⁾, et *beata terra, cuius rex nobilis est* ²⁴⁾. Nobilitas istius est aurum purissimum, de quo conflata sunt preciosissima vasa templi ²⁵⁾.

(5) Magnus est dignitate honoris, quia ipse est homo positus super capita nostra, secundum quod dicit psalmista: *Imposuisti homines super capita nostra* ²⁶⁾. Ipse est sol in firmamento mundi, quo illuminantur homines gracia et exemplo. Ipse est, cui *flectitur omne genu celestium*, id est regum, *terrestrium*, id est militum, et *infernorum* ²⁷⁾, id est omnium subditorum. Quis sub nubibus equabitur ei aut quis similis illi esse poterit inter filios regum ²⁸⁾? Unus est et secundum non habet, fenix pulcherrima pennis aureis decorata ²⁹⁾.

(6) Magnus est, maior et maximus, magnus quia rex Sicilie, maior quia rex Iherusalem, maximus quia imperator Romanus. Hic est, quem gloria et honore dominus coronavit ³⁰⁾ et constituit eum super omnia opera sua ³¹⁾. O dominum mirabilem, humilem et sublimem, o dominum effabilem et ineffabilem, o leticiam principum, o gaudium populorum, nemo illo sublimior, nemo illo humilior invenitur! Hic est nobilitas

¹⁹⁾ Vgl. Luc. 4, 1—13. ²⁰⁾ Joh. 7, 46. ²¹⁾ Sap. 11, 21. ²²⁾ Joh. 3, 31. ²³⁾ Prov. 31, 23. ²⁴⁾ Eccle. 10, 17. ²⁵⁾ Vgl. etwa Exod. 38, 24 ff. ²⁶⁾ Ps. 65, 12. ²⁷⁾ Philipp. 2, 10. ²⁸⁾ Vgl. Ps. 88, 7. ²⁹⁾ Vgl. HB. 107, 18—20, aber hier und auch anderwärts aquila; über die allegorische Bedeutung des Phönix s. F. Schöll, Vom Vogel Phönix, Akademische Rede ... Heidelberg (1890), bes. S. 12 ff. ³⁰⁾ Vgl. Kantorowicz, a. a. O. S. 108. ³¹⁾ Ps. 8, 6—7; Hebr. 2, 7.